40763



LAUDETUR JESUS CHRISTUS, AMEN.

CONFERENTIÆ THEOLOGICO-MORALES DE CASIBUS CONSCIENTIÆ.

In Congregatione Cleri Decanatus Foranei, propositæ & resolutæ.

Q. I. An recipiat Gratiam, qui communicat cum mortali peccato ignorato?

Q. II. Adultus, qui baptizatur, non dolens de actualibus peccatis, an recipiat Gratiam?

SVMMARIUM.

1. *Effectus Sacramentorum qui, & quot sint?*
2. *Gratia Divina quid sit, & quotuplex?*
3. *Gratiæ Sanctificantis Divisiones variæ.*
4. *Gratia alia 1ma. alia 2da datur in Sacramentis.*
5. *Gratia ex opere operato, vel ex opere operantis quid sit?*
6. *Gratiam 1mam an recipiat, qui Eucharistiam sumit cum peccato mortali ignorato?*
7. *Adultus de peccatis actualibus non dolens in Baptismo, an recipiat Gratiam?*

EXplicandum necessariò venit. Qui, & quot sint *effectus Sacramentorum?* Communis responsio ex Theologorum & Canonistarum doctrina, eos esse tres. *1mo.* Gratiam sanctificantem ex opere operato: *2dò* Characterē. *3tiò* Ornatum Animæ & auxilia quædam actualia ad obtinendum finem, in quem singula Sacrāmenta sunt à Christo 1.

 Domino

Domino ordinata. *Primus effectus id est.* Gratia sanctificans est communis omnibus Sacramentis. *Ex Conc: Triden: Sess: 7. Can: 8. Secundus* nempe Character reperitur in tribus tantùm. *videlicet.* In Baptismo. Confirmatione. & Ordine. *Tertius effectus* est proprius omnium Sacramentorum. *S. Thom: 3. p. q. 62. Scotus in 4. d. 1. q. 7. Gobat de Sacramentis tract: 1. Num: 279.*

Ad primum effectum, adhuc explicare necesse est.

2. *Quid & quotuplex sit Gratia Divina?* Gratia Divina generalissimè & in lata acceptione sumpta, significat omne bonum omneq; donum tam naturale quàm Spirituale, quod Deus hominibus largitur. *Card: de Laurea. de Gratia num: 6.* Gratia autem est in duplici differentia. *Una est.* quæ vocatur Gratia gratis data. *Altera* quæ dicitur Gratia sanctificans, seu gratum faciens. 1*ma est* liberalis Dei donatio donorum suorum ad utilitatem proximi, quæ quidem dona sunt novem descripta ab Apostolo 1. *Cor:* 12. *Sapientia, Scientia, Fides, Gratia Sanitatum, Operatio Virtutum, Prophetia, Discretio Spirituum, Genera lingvarum, & Interpretatio sermonum.* Vocatur autem hæc Gratia *à S. Thoma.* 12. *q.* 111. *Art:* 5. inferior, & minùs digna, tum quia potest haberi, & non haberi, juxta Dei placitum: tum etiam quia reperitur aliquando in homine peccatore, ut in Iuda proditore, & in Balaam, *Card: de Laurea disp.* 11. *Nro 62.* quamvis rarò id eveniat.

Gratiæ verò Sanctificantis, seu gratum facientis, plures

3. sunt definitiones. Est quædam participata similitudo Divinæ naturæ. *S. Thomas q. 62. Art:* 1. Est auxilium, quô indiget homo ad beatitudinem consequendam. *Ex Polyanthea. Verbo Gratia.* Est habitus supernaturalis, infusus Animabus



nimabus noſtris ex Dei dono, quo Ei reconciliamur, & ad ſuam amicitiam admittimur, ita ut inde formaliter ſancti & juſti ſimus, ac ſecundum ſpem hæredes vitæ æternæ, vel qui iam juſti ſunt & ſancti, magis juſti & ſancti efficiantur. *Reginaldus Lib: 26. Num: 43.* Tandem ex Catechiſmo Rom: *de Baptiſmi effectibus Seſſ: 50.* Eſt Divina qualitas in Anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam & lux, quæ Animarũ noſtrarum omnes maculas delet, ipſasque Animas pulchriores reddit. Quam definitionem exornando. *Volpi Reſol: 70. Num: 4. ſubdit.* Gratiam hanc ſanctificantem eſſe vitam Animæ: ſicut enim corpus mortuum eſt ſine Anima, ita homo vivus vita ſpirituali, cùm habet hanc Gratiam: propterea eſt omnino neceſſaria ad ſalutem, quia ſine ipſa impoſſibile eſt mereri vitam æternam. *Concil: Trid: Seſſ. 6. Can. 1. 2. & 3.* Porro *Gratia gratum faciens* variè dividitur à Theologis Moralibus, & à Theologis ſpeculativis. Hi docent Gratiam eſſe prævenientem, vel excitantem vel adjuvantem, vel cooperantem, vel ſubſequentem, vel medicinalem, & ſanantem, vel ſufficientem, vel efficacem, vel qua vel ſine qua. *S. Thomas in 12. q.* 111. *art: 2. & 3. Card: de Laurea. Opusc: 3. de Gratia: Cleric: Decis Sacr:* 17. *Tom. 1.* Ubi ſic declarant prædictas Diviſiones.

Præveniens. Gratia ſeu auxilium præveniens, qua Deus prævenit intellectum, & voluntatem humanam in ordine ad actus bonos & ſanctos, illuminando intellectum ad cogitandum hic & nunc de illis; & inſpirando voluntati, ut conſentiat & exequatur.

Excitans. Eſt illa, quæ Animam quaſi ſopitam, &

 de bo-

❁ ❁ ❁

de bono non cogitantem excitat ad cogitandum & cupiendum tale bonum.

Adjuvans. Eſt illa quâ Deus hominem illuminatum præventum, excitatum, ac expergefactum adjuvat, ut exequi poſſit bonum illud, jam cognitum & inſpiratum.

Coöperans. Solo nomine differt ab excitante, ſeu adjuvante, quia non eſt alia ſpecies ab eis diſtincta.

Subſequens. Eſt eadem cum adjuvante & ſolùm differt in modo & duratione usque ad finem vitæ, ac operis.

Medicinalis. Seu ſanans. Eſt eadem cum præveniente & adjuvante nec non cum efficaci, ſed ſic appellatur reſpectu diverſi modi, & ab effectu medendi, ſeu ſanandi.

Sufficiens. Illa dicitur, per quam poteſt homo piis actionibus, & bonis operibus ſalutem ſuam procurare & conſequi, & quam Deus nulli, habenti rationis uſum denegat, ſed ei Gratiæ reſiſtitur, & non obſequitur, effectus ſalutis.

Gratia efficax. Eſt illa, quæ opus bonum ſive Præcepti, ſive Conſilii, à Deo inſpiratum connexum habet. Et hanc non omnes Fideles ex juſto Dei judicio obtinent. Sciri autem non poteſt, nec de hac re ſciſcitari expedit, cur Deus non det ſingulis hominibus hanc Gratiam efficacem: ſed certum eſt, Ejus Divinam Bonitatem eſſe juſtiſſimam, & ab acceptione perſonarum vel iniquitate alieniſſimam. Ideo exclamare oportet cum Apoſtolo. *Rom*: 11. *O Altitudo Divitiarum, Sapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus*. *

Gratia

* Aut reſpondere cum *S. Auguſtino Tract*: 26. *in Joan*: ubi inquit. *Quare hunc trahat, & alium non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare.*

❀ ❀ ❀

Gratia qua, & sine qua non, dicitur prout convenit, vel adversatur efficaci, & non differt specie, sed in modo. Ut subtiliter explicat. *Card: de Laurea l. c.*

Theologi autem morales Divinam Gratiam in relatione adSacramenta dividunt. in PRIMAM & SECUNDAM. 4.

Gratia 1ma est, quæ datur existenti in statu originalis peccati, vel actualis mortalis per Baptismum, quando adultus baptizatur, vel peccatori baptizato attritionem tantùm habenti & confitenti per Sacramentum Pænitentiæ.

Gratia secunda dicitur, quæ datur iam existenti in Statu Gratiæ, facta additione novi gradus ejusdem Gratiæ ad priorem jam habitum.

Tandem eadem Gratia Sacramentalis alia dicitur. *Ex opere operato.* quæ procedit ex virtute Sacramenti su- 5
scepti, & meritis operatis Christi. Alia *Ex opere operantis.* quæ metitur ex devotione & dispositione suscipientis. Hîs præmissis. Quia peccatum mortale impedit assecutionem Gratiæ, & hæc stare non potest simul cum peccato. Resolvendus est casus sequens. *Timotheus accedit ad Sacram Eucharistiam cum peccato mortali, cujus tamen non recordatur, & de quo nunquam habuit contritionem. Quæritur an* 6.
recipiat Gratiam virtute Sacramenti Eucharistiæ? Resp: Affirmativè. Supposito qùod ipse Timotheus diligentem suæ conscientiæ examinationem præmiserit. Quia & si proprium sit solius Baptismi, & Pænitentiæ causare 1mam gratiam; illa enim dicuntur Sacramenta mortuorum: at verò Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum, quæ vivorum appellantur, causare gratiam 2dam, seu augmentum gratiæ 1mæ, nihilominus in proposito casu Eucharistia habet virtutem causandi etiam gratiam 1mam non per se, sed

per

per accidens ea ratione: quia Timotheus ſuſcipiens Euchariſtiam cum peccato ignorato invincibiliter, non ſuſcipit indignè, dignitas enim requiſita ad ſuſcipiendam Euchariſtiam eſt dignitas humanô modô cognoſcibilis: alioquin deberet expectari revelatio Divina de dignitate ſumentis. Ergo ſic ſumendo recipit gratiam Sacramenti, quæ ſemper datur non ponenti obicem, quem non ponit Timotheus ob totalem oblivionem peccati. *Ita ex S. Thoma 3. p. q. 79. Art: 3. Cler: Decis: Sacram: f. 25. tom: 1.*

Ad 2dum caſum. *Adultus de peccatis actualibus non*
7. *dolens in Baptiſmo, an recipiat gratiam?*

Reſpondent Theologi, reſolutionem hujus caſus pendere ab illa quæſtione: An Sacramentum ſuſceptum cum fictione, recedente fictione producat gratiam, & peccata remittat? Prætermiſſis aliis duo ſunt prænotanda. *Unum* quòd triplex poteſt eſſe fictio in ſuſcipiente Baptiſmum. Intentionis. Fidei. Et voluntatis. *1mò.* Si vi adigatur ad ipſum, nolens omnino baptizari: & in hoc caſu Baptiſma non ſolùm eſt informe, id eſt non formatum gratiâ, ſed invalidum. *2dò.* Quando non credit eſſentiam Baptiſmi, ſed illum recipit ùt naturalem & ſimplicem balneationem tantùm, & in hoc pariter caſu nullum recipit effectum Sacramenti, neq; Characterem. *3tiò. Voluntatis.* Quando non eſt benè diſpoſitus, quia habens peccata, eorum ipſum non pænitet, *Alterum* prænotandum eſt, quòd in tali fictione voluntatis peccata vel præcedunt Baptiſmum, vel committuntur in ductu receptionis Baptiſmi, vel poſt ſuſceptum Baptiſmum: peccata in receptione Baptiſmi vel poſt Baptiſmum, commiſſa non delentur, & per conſequens non acquiritur gratia niſi



nisi per contritionem veram cum proposito confitendi, vel cum attritione, & actuali Confessione Sacramentali simul. Et distingvendum est. Vel baptizandus adultus non habuit attritionem de peccatis suis ex ignorantia invincibili, quia vel non fuit instructus & monitus, vel credidit se esse attritum, & non erat. Et in hoc casu, quotiescunq; post Baptismum elicuit actum attritionis removebitur obex, & recipiet gratiam Sacramenti. Vel culpabiliter non fuit detestatus peccata sua, & tunc ad obtinendam gratiam, & removendum obicem necessaria est attritio cum actuali Confessione, vel contritio cum proposito confitendi. *Jta Diana Coordin. tom. 1. tract: 1. resol: 26. Cleric: l. c.*

Quare casus noster resolvitur dicendo, gratiam recipi ab adulto baptizato qui non doluit de suis peccatis, tunc, & quando elicit actum attritionis, si absq; culpa non doluit in Baptismo. At necessariam esse contritionem. vel attritionem cum Confessione, ut gratiam recipiat, si culpabilis fuit omittendo actus attritionis necessariæ in Baptismo. *Ita DD. supra cit:*

Defendentur in Congregatione Cleri Decanatus Foranei Andreovien: Diæcesis Crac: die 8. Mensis Juny *Anno* 1761. *In Ecclesia Parochiali Andreovien: celebrata, sub præsidentia Decani Loci. Objectis satisfaciente A. R. Ignatio Kotowski Præbend: Iemielnen.*

MEMORIALE.

Sacerdotes Domini incensum, & panes offerunt Deo & ideo sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen Ejus. *Lev.* 21.

Sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege Domini. 1. *Machab:* 4.

Sum-



Summum ſtudium in eo ponat Parochus, ut tam ipſe SSmum SACRAMENTUM quâ decet reverentiâ debitoq; cultu latriæ tractet, tum populus religione colat; Devotionemq; in fideli populo erga hoc AUGUSTISSIMUM SACRAMENTUM excitari curet, eximiamq; in nos charitatem Dei explicet. Etenim *nulla eſt natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis Deut: 24.* *2dò* Frequenter prædicet, quàm pium & meritorium ſit hoc opus, in quo fulget fides noſtra, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. *3tiò* Certos faciat populos de Dei beneficentia in eos, qui venerantur Chriſtum Dominum verè & realiter in Euchariſtia exiſtentem, & hujus rei exempla depromat ex Authoribus Eccleſiaſticis. E contra enarret punitiones & vindictas in eos, qui indevoti fuere erga Diviniſſimum hoc *Sacramentum.* *4tò.* Enuntiet impias deriſiones tum Judæorum tum hæreticorum, quorum perfidiam ſupplere debet pietas & devotio fidelis populi. *5tò* Proponet unicuiq; Fidelium in extremo vitæ Chriſtum Dominum non eſſe permiſſurum, ut abſq; Divino Viatico ex hac vita decedat ille, qui fuerit ſollicitus in promovendo cultu *SSmi Sacramenti.* Ex hoc memoriali ſolliciti ſitis Fratres, ut omnia fiant ſecundùm ordinem, ut omnia ſint munda, & pretioſa, quæ ſunt Altaris *SSmi Sacramenti*, & erga Diviniſſimum hoc Altare liberales in decorem & ornamentum, ut noſtrô exemplô populi diſcant Redemptorem noſtrum in Sacramento corde & opere revereri & venerari.

Gratia Domini Noſtri Jeſu Chriſti cum Spiritu veſtro Fratres, Amen. Ad Gal: 6.

  